



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

16. Mittunt & discipulos suos cum Herodianis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

16. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*

*Herodiani
unde sic
dicti.*

*Histor.
Rom. lib.
48.
Lib. 18.
cap. 19. &
20.*

Fingit hoc loco Calvinus aulicam quandam apud Iudæos religionem ab Herode maiore, illo qui Christum natum persequebatur inuectam, ut Herodiani dicantur qui illi assentantes, homini semiudæo, & adulterino legis professori, integram & puram legis observationem negligebant. Totum hoc fictitium & vanum est. Herodiani enim hoc loco dicuntur, qui census seu tributi à Romanis Imperatoribus Iudæis indicti collectores erant; quibus omnibus præfuit Herodes Agrippa, vel tunc à Tiberio constitutus, vel quia eo Consule cum Augusto census iste primum indictus fuit, ut scribit Dio. Herodianorum quidem secta apud Iudæos fuit, qui Herodi adulantes, ipsum esse Christum & Messiam affirmarent, ut videre est apud Iosephum in Antiquitatibus Iudæicis. Sed ad illos quæstio de censu Cæsari soluendo nihil pertinebat: nec Herodiani, sed Galilæi erant, alia quædam seditiosa secta, qui sensum Romanis soluendum negabant, de quibus Iosephus lib. citato, cap. 1. Sed istis aperte seditiosis hominibus adiungere se Pharisæi, ut Christum tentarent, nec audebant, nec ad rem præsentem faciebat. Isti enim Herodiani censum exigebant: Pharisæi non esse dandum mulstabant. Vtrique Christum aggrediuntur, ut vel illos offenderet si solutionem negaret, vel populum, qui non libenter solvebat, si solutionem approbaret, quasi rem populo Dei indignam. Sed vtrique satisfacit Christus, Cæsari quod suum, Deo quod Dei erat, reddendum respondens.

21. *Reddite quæ sunt Dei Deo.*

*Caluini
contradi-
ctio.
Soli
Scriptura
perfectio
an. ponenda.*

EX his Christi verbis mirabile corollarium infert Calvinus, ut dexteri sunt hæretici (si Scripturas tractandi potestas illis datur, à quo imprimis arceri debebāt tanquam hospites & aduenæ, imò tanquam hostes & aduersarij fidei, iuxta antiquissimi Terrulliani saluberrimas Præscriptiones) ad omnem Scripturam in sensus suis placitis congruos detorquendam, & obtorto collo pertrahendam. Ad hæc quippe verba sic scribit Calvinus. *Hoc discrimen tenendum est, quum Dominus ad regendas animas unicus legislator esse velit (ecce iam Christus legislator erit, quum id Caluino comodum est, qui supra ad cap. 5. Matth. fortissimè id negauit) non aliunde eius colendi petendam esse regulam quam ex ipsius verbo, atq; in*

solo